B. N. C.
FIRENZE
1033
13

1033.13

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1033
13

XXXVIII
IOHAN.
1546

FRANCISCI
CAESARIS AVGVSTI
MVNIFICENTIA.

1033. 13

276

ORATIO
DE LAVDIBVS B. IOHANNIS GVALBERTI
FVNDATORIS ORDINIS VALLISVMBROSAE.

A D. Iohanne Iohannali Monacho Vallimbroſano habita Florentię in Ęde Sanctiſsimę Trinitatis, quarto Idus Iulij. 1586.

Quo die ſacratiſsima maxilla pręfati Beatiſsimi Patris de templo Monialium Spirituſſancti ad Eccleſiam ſanctiſsimę Trinitatis tranſlata eſt.

AD ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

ALEXANDRVM MEDICEM S.R.E. Cardinalem Ampliſsimum & Florentinorum Archiepiſcopum vigilantiſsimum.



FLORENTIAE.
Apud Bartholomaeum Sermartellium.
MDLXXXVI.

1033.13

Authoris tetraſtichon.

ΙΩΑΝΝΟΥ, κάθαρ᾽ ὃς Φλώραν πυρὸς, οὗτος ὁ βίβλος
Ἤθεα, καὶ σοφίην, τάς τ᾽ ἀρετὰς συνέχει.
Τόνδ᾽ οὖν σὺ δέξαι ποιμὴν κύδιστε, πατήρ τε
Τοὔνομ᾽ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, καὶ κλέος ἀθάνατος.

Quę ſic idem latinè reddidit.

INclyte A LEXANDER *Floræ paſtorq; Paterq;*
Quem fama celebrem tempora longa canent.
Exiguo hoc folio mores, ſophiamq; Iohannis
Excipe; purgata eſt quo tua Flora viro.

LONGVM iter, ac penè immenſum hodierno die iubeor emetiri (Cardinalis Illuſtriſsime, Ornatiſsimi Prçſules, Valliſumbroſanæ Religionis Generalis Prçſidens Reuendiſs. Prçſtantiſsimi Patres, Nobiliſſimi ciues) Laudes ſcilicet viri glorioſi, & parentis noſtri in generatione ſua. Graue profectò onus, & humeris meis longè impar: Quod tamen me vtcunq; ferre poſſe confiderem, ſi huiùs ampliſsimi Patris merita aliquantò minora, aut veſtra ſpectantium authoritas anguſtior; vel mei puſilli vires ingenij oppidò maiores exiſterent. At quando impium eſt de ſanctorum meritis aliquid detraxiſſe; tantam verò tantorum virorum maieſtatem minuere; vel tàm minimas ingenij mei vires augere multum abeſt, vt fieri poſsit; ecce (viri Florentini) vt ex frequenti proſpectu ſolis retunditur acies oculorum, ſic conſpectus veſter tantò ſemper mihi ſe ſe offert auguſtior; vt quò ſçpius oculos circumuoluo, eò fiam hebetior: & quò pluries, vel minimam Diui Iohannis Gualberti laudum partē mecum ipſe repeto, eò fiat in me vis dicendi languidior. Quis .n. hominum tanta verborum facundia, tàm celeri, & expedita lingua eſt, qui tantarum laudum amplitudinem breui temporis ſpatio valeat circumſcribere? Id quod dum tentare videor, tribus potiſsimum recreor. Primum, quod huius viri eximias virtutes oràtione mea non modò conſequi, aut exçquare, ſed aſſequi tantùm, nec mei eſt inſtituti; nec ij ſperabant, qui hanc mihi prouinciam delegarunt. Verùm id mihi eſt animi has ingenij mei primitias immaturas licèr, & prçcoces illi conſecrare, cui vitam meā omnem deuoui; & ſub cuius diſciplina hos, quales quales ſint, progreſſus feci (ſiquos tamen feci). Et cum ſuprema quçque metiri per minima cōſueuerimus, prudenter à maioribus meis cautum eſt, vt ſupremç ac tum numero, tum magnitudine infinitç Parentis noſtri virtutes per minimam meam in orando facultatem menſurentur; ſi tamen menſurari patitur, quod infinitum eſt. Alterum, quod me ſolatur, eſt: quoniam, cum D. Iohannem laudo, virtutem commendo: & rurſus, dum hanc commendo, Deum commendo omnium virtutum, & omnis gratiç largitorem: à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Dei ergo negotium agitur, cui mea omnia commiſſa fore confido. Ac demum tertiò animor quòd ſi nec ſanctorum meritis, nec veſtrç gloriç (auditores) quicquam adimi poteſt; tu tamen pientiſsime Pater efficies, vt qui ſibi ſçpius ex ore infantium

perfecit laudem, hanc ſibi hoc loco, hoc tempore laudem perficiat; vt ex tuis meritis oſtendam, qualem, ac quantam venerationem tibi: qualem quoq;, quantamq; laudem ijs debeamus, qui ad ſacratiſsimas has tui corporis reliquias adorandas huc pietatis ſtudio, ac deuotionis nomine conuenerunt. Verùm enimuero in ingenti laudum magnitudine, vnde potiſsimum exordiar? Video.n. in hoc beatiſsimo Patre collecta, congeſta, nec non coaceruata quęcunq; mortalium vitam illuſtrem faciunt, & commendatione digniſsimam. Fuerunt quàmplurimi (non inficior) vna, aut altera commendatione pręſtantes; vna aut altera virtute cæteris omnibus anteferendi; ſed perpaucos immortalis Deus omni munere dignatus eſt. Nunc verò in id vnum Deus intendiſſe videtur, vt D. Iohannes omnibus externorum, nec non Diuinorum beneficiorum numeris abſolutus euaderet. Primùm .n. (quod ad externa bona ſpectat) natus eſt Florentię, in hac veſtra vrbe celeberrima, & facilè magno interuallo multis Europę vrbibus anteponenda. Siquidèm quaſi omnium Italiæ Regnorum penetrale ſita eſt in vmbilico Heſperię omnium orbis partium nobiliſsimę: quę diſtentis ſuę munificentiæ vberibus, veluti ęterno puerperio lętis, fortiſsimos duces, clariſsimos Reges, & Illuſtriſsimos aluit Imperatores. Hic verò qui ciues? quæ ciuium ingenia? quæ populi frequentia? quæ incolarum multitudo? quę ciuium opes? quę fori celebritas? quę rerum venalium opulentia? quę negotia? quę munia? quæ mœnia? quæ ędificia? quales plateę? quod ſolum? qui ſitus? quod cœlum? In cœli mollitie, incolarum numero, & rerum opulentia, cum reliquis contendit; at verò ſitu nihil amœnius, nihil vberius ſolo, nihil ſpatioſius plateis, nihil amplius ędificijs, nihil tutius męnijs, nihil vtilius munijs, nihil celebrius foro, nihil prętioſius tot, tantiſque opibus, nihil mitius ingenijs, nihil ingenioſius, nihil humanius ciuibus, quippe qui natura, & ingenio acutiſsimi; oratione, & animi vigore pręſtantes; corporis robore, & manibus ſtrenui; animo fortes, contumeliarum ſine legum iniuria acerrimi vindices; nihil ęquè, ac dignitatem facientes, equeſtris ac militaris rei peritiſsimi, natura, & moribus elegantes. Quo factum eſt, vt plurimi in omni artium peritia, literarum gloria, & doctrinarum laude floruerint: De quorum numero fuit D. hic noſter Iohannes ex pijs, & honeſtis parentibus ciuibus veſtris: ex nobiliſsima Azzinorum familia, multis annorum curriculis, ampliſsimis veſtris, ac potiſsimùm equeſtris ordinis muneribus functa: plurimis priſcorum ſuorum imaginibus, titulis, nominibus, triumphis, & conſulatibus inſignita. Sed hę duę res Patrię videlicet & generis nobilitas bene longũ panegyricum poſtulant, & opem quęrunt oratoris vi dicendi pręſtantis:

tis: In tanta .n. familię, ac ciuitatis huius laudum vbertate, quaſi in ampliſsimo campo excurrens in medio curſu deficerem. Hanc proſapię nobilitatem paternę opes alebãt, quibus illius familię viri facti erãt vicorum, & Caſtellorum, Petrorij pręſertim dominatu conſpiciendi. Tantæ generis gloriæ, & Parentum ſplendori nihil natura detraxit: Erat.n. & corporis robore, & membrorum agilitate conſpicuus, manu promptus, & ea eleganti forma, decora facie, ac pręſtanti ſpecie, quæ digna eſſe Imperio videretur. Quod autem nullam eius dignitatem, nullos titulos acceperimus; non tàm in iuuenilem ętatem reijciendum eſt, quàm in temporum iniuriam, & in liberum illius animũ exiſtimantẽ turpe eſſe, & pecunię, & honoribus deſeruire. Qui etenim amplo paterni nominis patrimonio relicto, tãtam in Vallumbroſano Monaſterio paupertatem paſſus eſt, vt ſępè furfuracei, & ordeacei panis, quo veſcebatur, penuria premeretur: qui oblatas à ſacerdote quodam pecunias aſpernatus eſt, & Imperatoris Corradi ij. munera pauperibus erogauit: qui inacceſſas ſolitudines, vt habitaret, elegit: qui impetrauit imbrem de cœlo, quo tempore verebatur nè ad Stephanum nonum Pontificem ſummùm adductus ex amata ſolitudine ad purpureos honores euocaretur: àn non videri poteſt ſemper, & fallaces diuitias contempſiſſe, & à vanis honoribus abhorruiſſe quàmmaximè? & quis id ſibi non ſuadeat, cum ſuperba cuiuſdam Monaſterij, Moſcheti ſcilicet, machina huius humilliſimi Patris, quaſi alterius Helię precibus, aqua primò, igne ſecundò de cœlo tacta fuerit? Igitur & Naturę & parentum ſingulari munere, diuitijs, & honoribus benè ſatis inſtructus erat; ſi aut Naturæ, aut fortunæ bona, quæ ex antiquorum virtutibus proficiſcuntur, quaſi ſua in ſuam laudem, ac gloriam aſcripſiſſet. Nunc verò conſultò hæc mihi prætereunda ſunt, quoniam is nihil ſibi laudi duxit, niſi quod ſuis geſtis tribueretur. Quæ igitur bona à maioribus acceperat, virtute exiſtimans eſſe adminiſtranda (ò mirandum futurę virtutis ſpecimen) adoleſcentiam, quę multos peſſundare ſolet, innocenter adeò, ſanctèq; peregit, vt nullus eo melior, aut ęqui amantior, aut Dei reuerentior putaretur. Quid opus eſt eius ſolertiam, conſtantiam, modeſtiam, ſobrietatem, patientiam, fidem, charitatẽ, vigilias, & ſanctitatem maioribus efferre præconijs; cum ſemper, vti fugare morbum à corpore ſatagebat, ſic inſcitiam ab animo, luxuriem à ventre, & in ſumma ab omni cupiditate intemperantiam reſecaret? O' adoleſcentiam omni commendatione proſequendam, ò maturam in teneris annis grauitatem. Tot demum ſe virtutibus ornauerat, vt nullus augendi locus eſſe videretur: ſic.n. cenſebant ij, quibus familiariter vtebatur. Nec profectò maiores in homine, qui ſibi tantum natus eſſet, aut vidimus, aut

accepimus vnquam. Sed ille omnium conditor, qui in altiſsimo ſuæ prouidentiæ decreto D. hunc ad communem omnium, ſed veſtram potiſsimum (Florentini) vtilitatem edere ſtatuerat, non paſſus eſt, illius virtutes anguſto humanę capacitatis ſpatio contineri. Apertis ergo immenſis Diuinę beneficentię theſauris (ò ſummam Dei benignitatem) renouat in Iohanne illud inſigne amoris monumentum, quod primùm Sauli eccleſiam perſequenti monſtrarat. Nimirum cùm cæteros ad ſui cultum, & venerationem per miniſtros excitet, inducat, inuitet, & attrahat hunc tamen per ſe ipſum viſibili ſigno ad ſalutis ęternę ſtipendia, ad Angelicorum hominum militiam, à priuata ad publicam Religionem tuendam vocare dignatur. Sęuierat Paulus in Eccleſiam; deſęuit hic in hoſtem; qui ſathanæ ſtimulis agitatus incitatiſsimo in Gualbertum odio Hugoni eius filio, & D. Iohannis fratri cariſsimo ad necem vſque manus intulerat: quem cum Iohannes è Petrorio Florentiam veniens obuium habuiſſet, fremit, exſcandeſcit, ſpirat minas, anhelat cędes, vindictæ inhiat, vlciſci parat, iuuenilis furor arma miniſtrat vſq; adeò, vt in illius animo Diuinum amorem tepuiſſe putares: Iamq; inimico capiti diſtrictus enſis imminebat; quando pręfatus homicida, terrificæ mortis pauore, equo deſiliens, flexo poplite, ſupplicibus oculis, trementi, ac miſerabili voce, bracchijs ad venerandę crucis figurã conformatis, vitam ſibi condonari precatur. Quid ages ò Iohannes? Quid tuus diſtrictus ille gladius? hoſtem ne petet? qui ſenſus armorum tuorum? quę tua mens? oculi? Manus? ardor animi? Furor et ira, quibus nihil eſt vltione dulcius, poſtulant familiam ab infamia vindicari; at pietas, & crucis amor veniam rogant. Quò ſe vertet Iohannes? O ingenuam animi nobilitatem: Tam opportunam de inimico ſumendi pœnas occaſionem, ratus non ad ſęuitiam, ſed ad animi clementiam pertinere, pro crucis ſigno, & ſuas, & comitum manus ab hoſtis læſione compeſcuit: & vt Diuini numinis nomen pectus emollijt, amorem illum, qui ſtatim tantoperè conflagrarit, non aqua ſed quaſi iniecto oleo penè extinctum fuiſſe monſtrauit. Quanta tunc fuit Angelorum voluptas? quàm læta facie, & plaudentibus oculis Chriſtus de cœlo intuebatur iuuenem ira precitum, ſuæ crucis amore conſtanter inimicum, vindictę ſuauitate deſpectu, in gratiam reſtituere? ignouit ergo Iohannes, & eum, de quo per atrociſsima ſupplicia pœnas ſumpturus erat, in eccleſia ſancti Miniatis Criſto cruci appenſo obtulit in holocauſtum. Odoratus eſt Dominus tantam huius ſacrificij ſuauitatem, & continuò (ò rem inauditam hominum memoria, & perpetua hominum memoria digniſsimam) de cruce caput inflexit; vt hoſtiam exhibitam, viuentem, ſanctam, ſibiq; placentem fuiſſe

ſignificaret

ſignificaret: Rem planè grandem. Summa lętitia perfuſus Iohannes in Chriſti facie ſplendidiſsima ſecreta cœleſtia,& diuina myſteria contemplatus, didicit ex viſo capite ſpinarum Diademate tecto, ſpinoſo capiti delicata membra iungi non poſſe. Ac, vt tantum in Dei famulum amoris indicium ęternitate cõmendaretur: inflexum caput nunc vſq; cernitur,non ſine magna ſpectantium veneratione,& cum ſumma veſtra Florentinorum gloria. O' fœlices ciues ſua ſi bona norint. Non.n. eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus veſter adeſt vobis. Eleuatus eſt Chriſtus alijs nationbus; Vobis verò (Florentini ciues) caput inclinauit in terram; & humilia veſtra reſpexit. Lęta profectò, necnõ Florentino populo auſpicia fœliciſsima. Iuuenis verò Iohannes Diuini numinis afflatu cœpit ſecum recogitare; ſapientiſsimi Dei geſta ſic eſſe accipienda,vt pręter id,quod exteriùs prę ſe ferunt, aliquid abſtruſius agendum inſinuent. Continuò intellexit vir in Diuinorum geſtorum meditatione exercitatus, Chriſtum non tam vt gratias pro oblato ſacrificio rependeret, caput incuruaſſe; quàm vt eum ad ſe vocaret; moneretq; vt cœptum iter ad Crucifixi plagas inſiſteret, & Simoniacum onus, à Florentinis capiti illius impoſitum cernens, ſubinde cognoſceret, niſi eorum ſaluti conſuleretur vultum Domini eſſe ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Haud mora: (neſcit enim tarda molimina Spiritusſancti gratia) pro ſuorum ciuium ſalute arma capit, pręmiſsis Florentiam famulis, Monaſterium intrat, & militari ſacramento fidelem vni Deo Chriſto, & Chriſtianæ Reipublicæ operam polliciturus, bella Chriſti bellare aggreditur. Exordiamur & nos, quos in hac militia progreſſus fecerit, explicare; quos hoſtes profligarit,quę ve certamina fœliciſsimè ſuperarit. Nego igitur, aut cum valentioribus inimicis vllum vnquam contendiſſe, aut de inimicis glorioſiùs triumphaſſe quempiam. Agite, Duces illos, & totius orbis terrarum Imperatores, quorum memoriam, & commendationem veterum monumenta tantoperè celebrant; de quorum laudibus nulla vnquàm ętas conticeſcet, victores ſemper,ſemper inuictos hiſtorię produnt. Iactat Macedonum tellus ſuum Alexandrum, ob innumeras victorias glorioſiſsimè partas, cognomento magnum; qui vniuerſas, quas adiuit prouincias atrociſsimo bello vexauit;vexatas deuicit: victas ſuo Imperio,& ſuis legibus parere coegit. Sagacem ſuum Annibalem egregiè,& audacter callidum Carthago magnis laudibus efferebat,quòd expugnata Sagunto, Sempronium, Caium Flamminium, Publium AEmilium, & Terentium ingenti clade affecerit. Gaudet Vrbs Roma ſuis Scipionibus,quos ęterna fama dignos arbitratur ob Numantiam, & Carthaginem deletas,

tas, Aſdrubalem, Syphacem, Annibalem, & Antiochum ſuperatos. Quantum verò eadem Pompeio tribuit, cui & Magni cognomen dedit, & Iarba Mauritaniæ, Mithridate Ponti, Tigrane Armenię Regibus, Iberis, Albanis, Iudęiſq; debellatis biduo triumphare permiſit? Mitto nunc ſexcentos, quos ſuis ipſorum triumphis immortalitatem adeptos hominum memoria ſuſpicit, & admiratur. At iſti Ciuitates tantùm, Prouincias, Populos, & Nationes debellarunt, ac demum homines cum hominibus innumera militum manu, manus conſeruerunt: ſed tamen ea vicerunt, quæ & Naturam, & conditionem vt vinci, ferro debilitari, frangiq; poſsint, habebant. D. verò Iohannes ſuum animum cohibuit, ſeipſum vicit, & ſocium habens neminem, vitia omnia, & humanos affectus ſuę virtutis fręno compeſcuit, ac Sathanam; cuius poteſtati non eſt poteſtas in terra, quę comparetur; non ſemel in triumphum duxit. Nunc igitur quantò valentiores ſunt Dęmonum exercitus, quàm hominum copię; tantò huius vnius viri virtus monſtratur inſignior, & triumphus glorioſior. Illi ambitione pręliabantur; iſte pietate: illi falſorum Deorum templa diruebant; iſte veri Dei templa diruta & collapſa reparabat: illi vt cunctis dominarentur vniuerſa turbarunt; hic vt ſub iuſtis legibus viueret omnia turbata pacauit; illi, ac potiſsimùm Iulius Cæſar; cuius nomen apud poſteros, & bellicæ virtutis, & ciuilis clementiæ nomine prædicatum, & quinq; triumphis nobilitatum, nulla vnquam obliuione delebitur; patriam tamen armis oppreſsit, & in ſeruitutem redegit; Iohannes verò ſuis ipſius periculis patriam (vt oſtenſuri ſumus) à Simoniaca ſeruitute redemit. Tantæ glorię accedit, quòd illi Monarchę cum ijs decertarunt, in quos ſęuire, & atrociſsimos cruciatus exercere permittebantur; At huic noſtro Imperatori cum eo certamen ineundum fuit, erga quem pium non eſſe ſummum nefas iudicaretur; cum ſuo ipſius parente, cum patris furore, ac minis; imò cum paternis precibus, & lacrymis, quę feras emolliant, & abducant ab inſtituto. Themiſtoclem Athenienſium Ducem vniuerſis Gręciæ populis imperantem, accepimus non erubuiſſe fateri ſuam animi fortitudinem maternis nutibus expugnari. Ita eſt profectò, magnam vim habent parentum lacrymæ. Id quod animaduertens Iohannes, cum patre in arenam deſcenſurus; qui eum aut vi, aut prece de Monaſterio volebat eruere; acutiſsimis Paternorum gemituum iaculis Diuini Conſilij ſcutũ oppoſuit: & ab altari, quaſi à Chriſto monaſticas veſtes induitur, arbitratus non licere homini illum ſacras veſtes exuere, quem Chriſtus ſuis manibus induiſſet. Eo veſtium ſplendore ante Patris conſpectum adductus, ſic Patris oculos perſtrinxit, vt quàm citiſsimùm incruenta victoria potitus, Patrem manus

nus dare coegerit. Quàm effuſa tunc omnium Monachorum hilaritas: Quantus ſpectantium plauſus? quę, qualia, quantá ve de illo, ſe præſagire poſſe videbantur? Nec ſpe ſua fruſtrati ſunt. Cœpit.n. Iohannes Monaſticę conuerſationis inſcitiam aſsiduo regulæ ſtudio, & ſacrarum lectionum continua meditatione ſuperare: imperandi conſuetudinem ſanctiſsimo obedientiæ iugo compeſcere: factas iam olim temporis iacturas intempeſtis vigilijs, & orationibus reſarcire: corpus demum delitijs aſſuetum monaſtica pauperie, ac frequenti carnis maceratione tàm fœliciter edomuit, vt facilè antiquum hoſtem in omni conflictu funderet, proſterneret, profligaret; & Diuino ſpiritu omnes omnium inimicorum ſuorum conatus eluderet. Euaſit breui in virum vita integerrimum, moribus ornatiſsimum, prudentia ſingularem, ſapientia inſignem, exemplo caſtiſsimum, religione eximium, pietate præcipuum, charitate flammantem, laudibus celebrem, ſpectatum ab omnibus, amatum à ſingulis. Quo fit, vt mirari deſinam Monachos loci illius refragante nemine Diuum Iohannem, & votis, & vocibus demortui paſtoris loco Abbatem renuntiaſſe. Quod onus cum is humiliter renuiſſet; illi tamen pertinaciter contendebant; ſed orari poterat, exorari non poterat. Nullus vnquam locus fuit his precibus apud Iohannem. O' admirabilem viri humilitatem: O' ſingularem laudem: O' egregiam animi moderationem: O' præclaram virtutem; raram tamen admodum: Summa conſtantia renuit illa ſumere oblata, quæ cœteri enixè præhenſant, & dantibus non modò gratias habenr, ſed, & agunt, & referunt. Ac tandem (qua laude nullam putauit ſibi Pompeius maiorem poſſe contingere) ſub ſe ipſo Imperatore omnia militaria munia obiuit, & eodem tempore, eodem loco, & ducis, & militis partes gnauiter præſtauit, idem ſibi & Imperator bonus, & miles ſtrenuus.. Cum .n. Simonis Magi error in omnes Tuſcię partes ſubreperet, ſolus hic inſurrexit; ſed humiliter primò à Simoniaco Abbate declinans, ſtudioſè locum inquiſiuit, vbi Deo liberiùs inſeruiret. Et poſt multa perluſtrata, & peragrata loca, in Valleũbroſa pedem figit, multos contra Simonem inſtructurus: & ligneo domicilio terrę glebis ſupertecto includitur, vt in communi terrarum orbis errore exiguo ligno, quaſi Noè arcę commiſſus, Simonis illuuiem fugeret, ibidemq; venientia ad ſe vera fidei ſemina ſeruaret illęſa. Itaq; illud cogitans longè præſtabilius eſſe de rebus vtilibus, & neceſſarijs mediocres habere opiniones, quàm ſuperuacanearum exquiſitam cognitionem, dimiſsis humanę Philoſophię ſtudijs, inter denſa arbuſta, ac proceras arbores, ſecus decurſus aquarum diuinę contemplationis arborem plantauit: & eò peruenit in illa ſolitudine, quò nec

Philoſophorum ſcholę,nec rhetorum academiæ in medijs vrbibus tan to ſtudio,tanto labore,tantis diſputationibus,tanta deniq; contentione proceſſerunt: & quæ bona ſunt non didicit modò,ſed conſtanter etiam exequebatur,& dabat fructum in tempore ſuo.Et tanto fructui munda nę laudis vmbra nō nocuit; ſed aſcenſionibus in corde ſuo diſpoſitis in valle lacrymarū,in loco,quem poſuit,ibat de virtute in virtutem.Celſam hanc arborem,frugiferam adeò,& florum odore fragrantem viderunt quàmplurimi,veneruntq; ſub eius tegmine recubaturi; quibus vt ſalutem largiretur, ſummę in omni negotio prudentię,magnę aduerſis in rebus fortitudinis,& in omni genere incorruptę temperantiæ exēplæ prębebat. Et cum omnibus ſibi eſſet in ſeruiendum(quòd eorū eſt, qui pręſunt: Magna.n.ſeruitus,magna fortuna)quàm erat in omnes miſeri cors?quàm iuſtus in ſingulos?quàm ſolicitè pro ſui gregis ſalute inuigi labat?Si pię adminationes,ſanctę pręceptiones,monimēta charitatis,re gulęobſerantia,ſolicitudines,ſudores modus,quo probabat ſpiritus,an ex Deo eſſent,à pirincipio referenda forent,nec dies ipſa ſufficeret.Venerunt nō nulli dulces charitatis eius fructus guſtaturi. Sed quæ nam lingua, quę nam oratoris facultas illius in pauperes,& hoſpites miſeri cordiā exæquaret?Siluæ,monteſq; reſonate,qui nouem Monachorum iunices ad pauperū miſeriam ſubleuandam D.Iohannis oratione pręſcipites dari vidiſtis. Impij fures, qui noctu bouem ad vim veſtram ſenſiſtis immobilem, Patris huius pietatem in ruſticum inopem commendate. Quiq; furtim Monachorum pauca quædam alimenta ſubripere tentantes, alter in alterius pedes implicati fruſtra fugam moliebamini, Iohannis liberalitatem efferte,qui vos dimiſit inultos,& omne furtum largiter impendit. Et tu Florenti, qui Beatiſsimum Patrem tuis maledictis tàm acriter inſectabaris, & cui omnem condonauit offenſam, Iohannis manſuetudinem prædica. O'inextinguibilem charitatem. Sed hoc æſtiuo tempore in tam ardenti charitatis cammino ſuffocatus deficerem: Hoc vno omnia claudo: opibus ſuis nihil parcebat, omnia in ſinu pauperum recondebat: tanta erat viri ſpes in Dei benignitate repoſita. Nec fefellit vnquam ſpem Deus. Panem,quem habebat vnicum, obuianti pauperi tribuit, & tres recipit: ſex horis frumentum diſtribuit, & in fine arca ſupereffluit: omnes Monaſterij facultates erogat, & Angelus de cœlo panem ſubminiſtrat. Iam verò quàm ſtabile fuerit in eo virtutum omnium fundamentum, fides ſcilicet, non eſt cur multis elaboremus. Siquidem ea, quæ ſingula fidei perfectionem atteſtantur, omnia in Iohanne tamquā in ſuo domicilio collecta fuere. Si habueritis fidem (ait Chriſtus) ſicut granum ſinapis dicetis monti huic tranſi hinc, & tranſibit: & ad iuſſum Beatiſsimi Pa-

tris vaſta immenſi ponderis fagus omnem vię aditum prępludens loco ceſsit iter agentibus. Sed ſi expreſſa fidei teſtimonia miracula iudicantur, impium eſſet de eius fide ambigere, cui Chriſtus pręproperа fagi viriditate locum deſignauit; cui biduo ante extremum diem Angeli famulati ſunt: cuius deniq; miracula mirari potius, quàm recenſere ſufficimus. Hic planè videas, quas Chriſtus in ſuis fidelibus notas requirat. In nomine meo(ait)dæmonia eijcient,linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit:ſuper ęgros manus imponent,& benè habebunt. Energumenorum,quos à ſæuo Dęmone vindicauit,infinitus eſt numerus,& ante quieta,ac ſerena nocte ſtellantia Sydera numeres. An non linguis loquutus eſt nouis,cum pręsbiteri fictę Religionis habitum poſcentis,diuino ſpiritu inceſtum intellexit,eidemq; exprobrauit? dum lethalia crimina occultanti omnia patefecit? dum prophetico ſpiritu futura pręnoſcebat, & ima cordis ſecreta penetrabat? Et quod tàm nouum dicendi genus, quam nouum eſt homini hominum corda ſcrutari?Et dum hos à vitijs compeſceret, quid aliud quàm ſerpentes tollebat? Mortiferum bibit, cum ſeſe morti expoſuit. Super ęgros quàm plurimos, ac pręcipuè ſuper Monachos ab execrandis Florentini Pręſulis miniſtris diſcerptos,dilaceratosq;virtutis ſuę manum impoſuit,& ſigno crucis omnes priſtinam ſanitatē recuperarunt.O' inſignem virum, ò militem ſtrenuum ,tantis virtutum armis munitum? At ego plura dixi de certaminibus priuatā eius vtilitatem concernentibus,quàm voluiſſem:Quę iam pericula pro Florentina & vniuerſa chriſtiana Republica ſuſceperit,paucis abſoluā. In initio quidem naſcentis eccleſiæ efferatus Simonis Magi furor efferbuit;ſed Simonis Petri virtute compreſſus delituit nō paucis annorum ſpatijs. Cæterum vti,poſt meledictam terram inopere ſuo, vt ſpinas,& tribulos germinaret,ſpinas, & tribulos etiam radicitus amputatos germinat iterum; ſic in arida humani cordis,ac neglecta terra,ſeuulſa olim Simoniacę prauitatis Zizania,vbiq;gentium,ac tùm maximè Florentię ſuccreuerunt. Iam cœperat Simon magica leuitate cœlos conſcendere; volatu enim ſuo eò vsq; proceſſerat,vt omnium non modò ciuium,ſed & Epiſcoporū animos in ſe conuerteret: Quando de cœlis Chriſti pręcurſor clientelæ ſuæ vicem miſeratus, imo pectore dolens, ratus eſt ad ſe pertinere, ne perirent ij, qui ſe vltrò illi commiſerant. Et vt Petrus Romam regnis cœleſtibus inferendam, intraquę nihil immundum intrat, aut coinquinatum, à tanta labe purgauit, aſcito ſibi in ſocium Paulo ad conuerſionem gentium deſignato, qui in Romanos gladio verbi Dei infidelium corda feriendo tremendus irrumperet: Sic Chriſti Baptiſta Florentiam ab errore Simonis, & Nicolai reuocaturus, al-

terum ſui nominis Iohannem aſciuit, & eumdem tantis virtutum pręſidijs inſtructum, tot victorijs animatum, tot tantiſque tartareorum militum copijs diſturbatis, ad Simoniacam hæreſim eliminandam, & Ducem, & militem deſtinauit. Vbertus ergò quidam ad Abbatię dignitatem aſpirabat: cumq; eam per virtutem ſcandere nõ poſſet, agnoſceretq; Rumpere inacceſſas aurum execrabile ſedes; argenteis telis Atthonem Florentię Epiſcopum aggreditur, quem Simonis labe maculatum nullo negotio expugnauit. O' execrandum auri appetitum: Hoc audito Iohannes pro Chriſti fide, fidei ſcutum arripiens; cùm ſibi liceret cum alijs in Monaſterio procul ab omni diſcrimine vitam traducere; exoptat tamen ſuum ſanguinem pro aliorum ſalute profundere; modò ſuos ciues à nefaria Simonis prauitate redimeret. Ac repentè (ò miram animi fortitudinem) maturo decernit ſenis cuiuſdam Theuzonis conſilio; denuntiatis belli ſuſcipiendi cauſis; Simoni, & eius miniſtris publicè bellum indicere. Itaq; ſolemni quodam, ac celebri die, quò innumera hominum multitudo conuenerat, fidelis athleta Chriſti Deo duce conſcendit, vbi cœteris eminentior, honeſta grauitate, manu ſilentium indicens, cunctis audientibus rem geſtam paucis perſtringit: inde Vbertum, & Atthonem Simoniacos denuntiauit. O' veram viri conſtantiam: O' inexpugnabilem viri fidem: in medijs hoſtium cuneis mortem nõ timuit: vnde meritò illum de frementium Atthonis, & Vberti amicorum manibus diuina miſericordia mirabiliter eripuit. Nec indicto bello abijſſet, ſi tunc ſe omnia perfecturum ſperaſſet; ſed effecit quod potuit; ſtetit quoad ſperare non deſtitit; receſſit, cum omnium penè ciuium conſilia in ſuam pernitiem concitaſſet. Redijt tamen poſt fundatam Valliſumbroſę Religionem, cum videret luem hanc in dies magis, magiſq; contagioſam. Poſt illa tempora quibus in Valleumbroſa demoratus eſt, ſucceſſerat in Florentino Epiſcopatu Petrus quidam Papienſis, qui quaſi Stratocles alter, tractationem Reipublicę meſsim auream arbitrabatur, ac dum ſuas diuitias auget, ouile ſibi commiſſum in quodlibet diſcrimen adducit. Heu miſeram Florentię conditionem: Petrus erat, & Petri nauim ſubmergebat: Petrus erat, & Petri fidem ſubigere tentabat: Petrus erat, & à Petro ad Simonem deſciuerat; Petrus erat, & Iohannem, qui pro Petri fide conatibus eius opponitur, de medio tollere molitur. Stato igitur die, quo Iohannem, quem ſibi publicè hoſtem ſentiebat acerrimum, in Monaſterio ſancti Saluij demorari nuntiatum eſt: iubet ſceleſtiſsimis viris, vt nocte ſequenti facto impetu in Monaſterium irruant, accenſas inferant faces: & Iohannem, illiuſq; Monachos ſecent in fruſta. Imperia complent viri omnis ſceleris authores; ſed vnum Iohannem,

hannem, cùm non repererint, qui diuino ſpiritu ductus Vallimbroſam redierat; omnium internecionem per acerbiſsimas plagas quęſierunt. Nec tamen dilaceratos, dilaniatosq; Chriſti martyres, tot plagarum acerbitas aſpectu fregit horribili, quin incitantiorem Religionis ardorem excitauit; & cum corpora dilaniarentur, membra à membris auellerentur, à propoſito non abducebantur. Sed quàm incompręhenſibilia ſunt iudicia tua Deus, & inueſtigabiles vię tuę? profectò abyſſus multa. Credebat Petrus omnium hoſtium vires debilitatas, & ecce tibi vireſcit vulnere virtus. Sanati.n. à Iohanne Monachi, & ad Apoſtolicam ſedem miſsi rogant, vt tantę Chriſtianorum pernitiei finem imponat; ſed quam rem nè efficeret impeditus eſt Pontifex, hanc Iohannes diuino munere tentat, & Florentinis ciuibus Petrum Simonis Magi aſſeclam eſſe, adhibito miraculo commõſtrare promiſit; ſi catholicam fidem ciues inde ſint amplexuri. Rem planè notam, ſed grandem tamen recenſeo; annuunt Florentini: & contra ſuorum ciuium cęcitatem pro ſuorum ciuium ſalute D. Iohannes animum purgandæ Patrię deſiderio incenſum, continuò ad vnam Florentinorum ſalutem contulit. Et in tantis errorum tenebris Diuina gratia lumen pręferente, in maximis atq; grauiſsimis Florentię periculis Simonem è templis, Delubris, vrbe, Italia depellendo; ſuis conſilijs, ſuis laboribus, ſui capitis periculis, ſinè armis, ſinè exercitu, vrbem hanc ſedem omnium veſtrum in libertatem vindicare exorditur: Ac eo die, eo loco, eo tempore, quo ciuibus placuit, iubet magnam ſtruem, ingentemq; lignorum congeriem fieri. Aderat iam dies, qua per ſuum famulum Dominus Petri cymbam è tot fluctuum procellis eriperet: Confluunt vndiq; gentes; nec ſexus, nec ętas diſcernitur: properant omnes, & incitato greſſu maturant aduentum. O' miram Dei potentiam; ò ſingularem pietatem: Tunc prægnantes mulieres longo itinere non deterreri, claudos nihil claudicare videas: & omnes ad deſtinatum locum, Abbatiam ſcilicet Septimi, quaſi diuino ductu concurrunt. Proteſtantur omnes ſe veræ fidei firmiter adhęſuros. Itaq; ligna incenduntur, & Monachi venerando altaris Sacramento muniti primam illam, atque incommutabilem veritatem obteſtantur, vt in tanta caligine, in tàm denſis errorum nebulis veritatis ſemitam commonſtret. Tunc iubet D. Iohannes Monachum acres ingentis rogi flammas penetare; quo mandata ſubeunte, it clamor cœlo, vniuerſorum monachorum preces, piorum hominum ſuſpiria, fœminei ac deuoti ſexus inenarrabiles gemitus, puerorum lacrymæ ingeminantur; At ille per camminum ignis ardentis, quaſi vnus è tribus pueris, alacris ambulabat illæſus. Putares quod cum duraret flamma, non vreret; & tanquàm figuli fornax

lutum

in carne reſoluta exceptas pro Chriſti nomine paſsiones, in conſumpta carne perennitatem virtutis, in cineribus ſemina æternitatis, & in inſenſibili corpore corpus cum Chriſto ſine fine regnaturum honora. Si .n. (vt preclarę ait D. Aug.) paterna veſtis, aut anulus, ac ſiquid eſt huiuſmodi tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes eſt maior affectus: in quantis delitijs huius tui ciuis corpus habendum eſt, quod multò familiarius, quàm quælibet indumenta geſtauit? fremat nunc vigilantius, debacchetur Eugnomius, & nos ſub ſanctorum tutelare patrocinium, quaſi ad Aſylum cõfugientes aſsiduè criminentur, quod gentilitio more inſenſibilia corpora veneremur. Nullum mihi facesſunt negotium coram populo deuotiſsimo, viris vniuerſæ religionis tutoribus, qui orthodoxæ Eccleſiæ decreta inconcuſſa tenuerunt: qui ve optimè intelligunt, ſanctorum corpora non inſenſibilia eſſe; imò verius interno quodam ſpiritu vigere. Tantus.n. fuit Beati Iohannis in hoc mortali corpore charitatis ardor, ac tanto diuini amoris incendio inflammata præcordia, vt gelidus tremor flammantes oſsium medullas non queat inuadere; vt corpus illi perpetuò viuat, qui viuorum Deus eſt, non mortuorum. Decet ergo ſummam venerationem ſancti huius reliquijs exhibere: Cui .n. Chriſtus de cruce caput inflexit; cur nos poplitem, caput, & cordis noſtri præcordia inclinare, & oſcula figere non debeamus? Te nunc appello beatiſsime Iohannes, vrbis huius reformator, ac noſtræ Religionis inſtitutor: en caput inflexum: orantium voces de excelſo cœlorum habitaculo clementer exaudi. Hanc vrbem, hæc tecta, hos præſules, hos patres, hos ciues incolumes ſerua: vt huius vitæ curriculo innocenter emenſo, tuo fælicitet in cœlis conſortio perfruamur. Dixi.

FINIS.

Preſcriptam orationem ego F. Thomas Boninſignius ſacræ Theologię profeſſor legi: in qua nihil comperi veritati, & chriſtianę pietati contrarium; ſed omnia ſummè conſona, diſertè, ac luculentiſsimè expreſſa, quæ lectoribus ædificationem cum iucunditate, & voluptate præſtare poſſunt.

His acceſsit ſuperiorum licentia.

99 956698

Z
1033.13

1013.13